




VITAE
ILLUSTRIUM PROFESSORUM

SEMINARII ET COLLEGII FALISCODUNENSIS

Auctore

JOSEPHO SARTINIO

OLIM

In eodem Seminario et Collegio

STUDIORUM PRAEFECTO

HIS ACCEDIT VITA EJUSDEM AUCTORIS



FALISCODUNI

Typis Seminarii et Collegii

Apud Savinium et Sartinium



PHILIPPO DE ANGELIS

CARDINALI

ARCHIEPISCOPO ET PRINCIPI FIRMANORUM

DOMINICUS SARTINIUS

IN SEMINARIO ET COLLEGIO FALISCO

HUMANIORUM LITERARUM

PROFESSOR

FELICITATEM

Duae me res ad opellam hanc in lucem edendam impellunt; nempe Seminarii hujus nostri decus, amorque in Josephum Sartinium, qui meus fuit patruus magnus. Hinc enim honoris aliquid in Seminarium redundare existimo. Siquidem illo-

rum vitae sunt, a quibus Seminarium hoc nostrum suum exorsum est incrementum. Hisce Josephi Sartinii ipsius vitam a me confectam addendam putavi, ut mei erga illum, a quo mirifice diligebar, amoris ac studii monumentum extaret.

Quidquid vero hoc libelli est, tibi, Eme Princeps, dicatum volo. Abs te enim, cujus virtutem doctrinam et ingenium ad grandia quaeque natum non modo nostrates, sed exterae quoque gentes nunquam admiratae sunt satis, libello huic non exiguum decus ac lumen accessurum confido. Novi etiam tibi gratissimam inhaerere memoriam hujus Seminarii et Collegii, quod, cum nostram regeres Ecclesiam, carissimum habuisti, idemque tribus cathedris auspicato auxisti. Neque minus tibi cara est haec nostra civitas, cujus obtines patronatum. Huc accedit, quod me tibi multa debere profiteor. Quî enim beneficia, quae in me contulisti, possim oblivisci? Haec tanti semper erunt apud me, ut nul-

lo unquam tempore queant ex animo meo vel excidere vel aboleri. Tot tuis erga me beneficiis veluti cumulum accessisse arbitrabor, si hoc munus, quantumvis tenue, ac exiguum, humanitate illa, qua polles maxima, acceperis, gratumque habueris.

Istiusmodi spe fretus sacram purpuram demississime deosculor.

Faliscoduni pridie Nonas Martias anno MDCCCXLIV.



VITA
MICHAELIS MORI

Michael Morus Dublini, urbe in orientali Hiberniae parte primaria, aedificiorum pulcritudine ac liberalium artium studiis in primis nobili, natus est anno Ærae Christianae 1640 Patritio Moor et Maria Dowdal, honestis piisque parentibus. Hi mature filium omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas imbui solet, domi erudiendum diligentissime curarunt; qui quum egregia esset ingenii docilitate, summamque in primoribus capessendis bonarum artium rudimentis industriam diligentiamque praeseferret, talem haud dubie jam tum ab ineunte aetate se futurum ostendit, qualem cognitum postea omnes judicarunt. Quibus rebus fiebat, ut de eo parentes bene sperarent, sibique fausta omnia

ominarentur, si filium curae et diligentiae virorum cum in conformandis primae aetatis moribus, tum in litteris praemonstrandis excellentium procul e patria paternaque domo tradidissent.

Hac mente in Galliam est missus, ibique in collegio Nannetium non magis vetustate et fama illustri, quam praeceptoribus celebri sub disciplina patrum Oratorii, mirabili, qua flagrabat, discendi cupiditate humanas litteras celeriter arripuit, ac plurimum studii in graeca etiam lingua collocavit; latinaque cum graecis conjungens in utriusque orationis facultate mirum quantum excelluit. Nec vero hebraicam linguam praetermisit, quo sibi ad rerum divinarum disciplinas adjumentum ex ea non mediocre compararet. Tali modo, quasi gradu quodam atque aditu ad altiores facultates jacto, Lutetiam Parisiorum mittitur, ut in urbe bonis artibus ac disciplinis omnibus florentissima, clarissimorumque virorum in omni eruditionis genere in primis referta Philosophiae ac Theologiae se totum daret. Qui-

bus in studiis tantam tamque diligentem operam posuit, ut non æqualibus solum, sed etiam praeceptoribus ipsis admirationi esset, summoque omnium plausu dignus fuerit habitus, qui in celeberrima ejus urbis Academia laurea donaretur. Quo factum est, ut ab omnibus ejus ingenii fama celebraretur, summorumque virorum amicitiam ac familiaritatem sibi conciliaret.

Tanta nominis commendatione quum esset, peracto studiorum cursu, unus prae ceteris electus est, qui in collegio Grossino Rhetoricam primum, tum Philosophiam publice doceret. Quo in munere per aliquot annos tanta cum laude ac doctrinae opinione versatus est, ut omnibus ejus magisterium probaretur, ac nemo esset, qui non ejus sagacitatem reconditamque eruditionem praedicaret; in eoque cum philosophicae facultatis cognitionem non vulgarem illam quidem, sed abstrusam ac paucis perviam, tum excellentem artis oratoriae peritiam omnes admirarentur. Nam non modo discipulis suis commonstrabat viam, et, ut fieri solet, di-

gitum ad fontes intendebat , sed ipsos manu prehendebat , ponebatque vestigia quae persequerentur. Hac tanta nominis celebritate quum Michael Lutetiae moraretur , in patriam , quae talem tantumque civem, quum ejus opera maxime ipsa indigeret, ab se disjunctum abesse aegerrime patiebatur , agente in primis Duce Tironcellio viro clarissimo, qui tum pro rege Hiberniae praeerat, revocatus ac Sacerdos invitus licet ac reluctans ob tanti muneris sanctitatem factus, ab Archiepiscopo Patritio Russellio , qui Morum optime cognitum plurimi faciebat, ecclesiastico proventu, honorifico illo quidem et satis amplo auctus ornatusque est. Summa erat in rebus gerendis Mori prudentia , difficilibusque negotiis explicandis expediendisque singularis dexteritas. Quod quum probe Russellius sagacissimo vir ingenio intelligeret, Mori non minus quam Vicarii sui Generalis fidei probitatique totius Dioeceseos procurationem demandavit commendavitque. Qua in re ita se ille cunctis non modo civibus , sed exteris quoque

probavit, ut omnibus gratissima esset ejus integritas, majoremque in dies famam et existimationem sibi ipse pareret.

His et gravioribus ad aliorum salutem curis ac solicitudinibus assidue distentus ad pietatem ac religionem qua privatis colloquiis, qua publicis habendis concionibus animos inflammare, fluctuantes et a recto aberrantes itinere in viam revocare summopere studebat, quum in Hiberniam se contulit Jacobus Angliae Rex hoc nomine secundus, quo praesente non semel publice concionatus est tanta cum religiosissimi Principis voluptate, tantaque ejus ingenii ac doctrinae admiratione, ut eum, plaudentibus omnibus, ac praesertim orthodoxis Episcopis, collegio sanctissimae Trinitatis Dublini praefecerit. Hoc honore tam singulari in se optimi Principis liberalitate ac munificentia ornatus, nihil praetermisit, ut ejusdem non solum, sed etiam universorum ordinum expectationi de se cumulatissime responderet. Tanta enim diligentia, tanto studio fuit, dexteritate tanta est usus, ut Collegio

dignitatem ac pristinum splendorem ab eo brevi restitutum, disciplinas quaslibet artesque liberales revocatas admirarentur omnes unaque voce praedicarent, eique uni Collegii Bibliothecam nobilem illam quidem optimorumque librorum refertam, praeclarissimamque in ea quantivis pretii pervetustorum codicum collectionem turbulentissimis illis Regni temporibus conservatam debere se faterentur. Huc suas omnes cogitationes ac solicitudines ille contulerat, majoraque animo spectabat, quum invidi quidam homines ac malevoli, qui sibi jam pridem ejusdem Collegii procurationem depoposcerant, sibique a Moro provinciam illam dignitatis atque honoris plenissimam per fraudem praereptam existimari volebant, eum apud Regem criminari, turbulentum hominem, novarumque rerum ac seditionum studiosissimum traducere, Regi Regnoque summopere periculosum calumniari aggressi sunt; neque antea ab incoepto falsis criminationibus destiterunt, quam Regis animum, qui tantam in religiosis viris calumnian-

di impudentiam atque improbitatem suspicari non poterat, nec fas esse ducebat, ab innocenti viro ac nihil tale opinanti prorsus abalienarunt. His auditis; suoque et regni periculo graviter commotus atque indignans Jacobus Rex, acciri ad sese statim Morum jubet, gravibusque ac minacibus castigatum verbis dimittit ea lege et conditione, ut e regno suo quamprimum secedat. Rei novitate perculsus, neque tamen animo destitutus, sese Regis sui, quem sincere ac religiose verebatur, imperio libentissime obsecuturum, ac nulla interposita mora e regni finibus, quoniam ita imperabat, demigraturum respondit; ceterum se nullius conscium sibi facinoris esse, ac fidelissimo semper in Regem Regiamque Domum animo fuisse, semperque in posterum, quicumque tandem casus exciperet, in omni reliqua vita futurum. Post haec quasi divinans eadem animi constantia ac libertate totius Regni calamitates ac bella intestina praedixit, quae Regem ipsum a suis desertum ad alios Reges aliasque gentes au-

xilii caussa confugere tandem compellerent. Hinc suis omnibus, quam potuit celerrime, rebus expeditis, moerentibus amicis, collegisque ejus vicem dolentibus patria cessit, ac Lutetiam Parisiorum iterum commigravit, urbem jam sibi amicissimam, eruditionis ac scientiarum procreatricem, virorumque de litteraria Republica bene meritorum studiosissimam. Atque hic ab amicis, qui quum primum ejus in hanc urbem reditum cognoverunt, gratulatum frequentes convenerant, amantissime exceptus, a clarissimis viris ob eximiam ejus doctrinam et eruditionem summo in honore habitus, bonis omnibus ob egregias animi virtutes, honestatemque inprimis singularem apprime carus jucundissime vivebat.

Non diu tamen hac vitae jucunditate atque otio frui Moro licuit. Nam profligatis adverso ad Boynam praelio, desperatisque Jacobi rebus, Regno ipse expulsus anno 1689 in Galliam, ne in hostium manus incideret, et ut vitae suae apud Galliarum Regem perfugium haberet,

cum suis se recepit. Qui, ut Morum Lutetiae summo in honore esse ac placidissime versari cognovit, inimicis, praesertim omnia conantibus, qui ut Moro nocerent, nihil intentatum relinquebant, et Jacobi Regis animum per se jampridem alienum odio inflammare in dies magis non desinebant, quamprimum ex hoc quoque regno abire coegit.

Lutetia itaque decedens Morus, itinere in Italiam suscepto, Romam venit. Tanti viri in Urbem adventus diu latere non potuit, ejusque in sublimioribus disciplinis recondita doctrina et eruditio statim ut cognita et probata est, multosque doctissimos literatosque viros in sui admirationem benevolentiamque adduxit.

Hac tanta doctrinae et eruditionis fama commotus Marcus Antonius Cardinalis Barbadicus (cujus nomen apud nos in omni sermone cum grata recordatione celebratur, vivetque apud posteros memoria sempiterna) qui tum huic Seminario et Collegio nostro, quod ipse a fundamentis de suo excitaverat, famam et existimationem conciliaturus, nullis

nec sumtibus, nec laboribus parcens praestantissimos artium disciplinarumque doctores ac magistros unde conquisitos honorificis propositis praemiis alliciebat, honestissimis invitatum conditionibus, Montem Faliscum Morum arcessiit. Quo quum venisset, demandatum sibi Theologiae publice primum tradendae ac studiorum praefecti munus regendaeque juventutis curam; subinde sacrae scripturae interpretandae, tum graecae et hebraicae linguae docendae provinciam alacri libentique animo suscepit. Occupato hoc honoris loco, quem per quinque ipse annos, quoad voluit, obtinuit, primam hanc initio statim curam habuit, ut et litteris et nobilioribus disciplinis eruditos praestantesque viros, studiorum sibi similitudine ac familiaritate conjunctos in hanc urbem ac Seminarium acciret invitaretque; ejusque solicitudine ac studio perfectum est, ut brevi Seminarium hoc et Collegium bonis artibus in primis floreret, neque his tantum regionibus contineretur, sed ad exteras etiam gentes ac nationes fama celebritasque pervaderet.

Nec minore dexteritate felicitateque usus est in adolescentibus ad pietatem et religionem instituendis, et ad laborem doctrinarumque studium excitandis. Atque hujus rei illud satis argumento est, quod per ea tempora ex hoc Seminario et Collegio, tamquam ex equo trojano, complures prodierunt illustres theologi, legum sacrarum periti, litteratique viri, qui subinde hujus loci famam atque existimationem tueri summa cum laude potuerunt. Ingenium in illo fuisse ad eloquentiam apparet ex ea oratione, quam anno 1700 in Aula hujus Seminarii, multis audientibus, publice habuit, qua ad linguarum graecae et hebraicae studium, quas qui nesciret, aditum ad veram solidamque eruditionem nemini patere intelligebat, studiosam Juventutem omnibus ingenii viribus hortatus est. Mos enim est a majoribus traditus, ut qui studiis praesunt, in anniversaria studiorum instauratione latinam habeant orationem ad excitandos inflammandosque ad laborem et laudem adolescentes, cui quidem sic satis fecit,

ut nomen disertissimi oratoris sit consequutus.

De hac tanta tamque solicita Mori cura et industria in adolescentibus educandis instruendisque, curandaque hujus Seminarii gloria, bonisque artibus excitandis admonitus Innocentius XII Pontifex Maximus, qui tum Ecclesiam universam regebat, adeo sibi placuit, tantamque animo laetitiam coepit, ut ad augendos Seminarii reditus, splendoremque ac decus in posterum servandum octoginta sestertiorum millia munifice liberaliterque assignaverit. Innocentio successit Clemens XI optimus ingeniorum aestimator ac patronus, qui quanti Morum faceret, ex eo satis intelligi potest, quod pluribus e Purpuratis Patribus adstantibus palam dicere non dubitavit, constituisse se tali tantoque viro nepotem suum in disciplinam tradere. Quod quidem evenisset, nisi tanti Pontificis voluntati ii maxime obstitissent, qui cum Moro adversabantur, tum illi honorem hunc summopere invidebant.

Dum haec apud nos gerebantur, magisque in dies Seminarii hujus et Collegii nostri splendor ac dignitas Mori auctoritate industriaque augebatur, Jacobus interea procul e patrio avitoque Regno in Gallia anno 1701 debitum naturae reddidit. Quo mortuo, neque ita multo post, Lutetiam revocatus amplissimos honores ultro sibi delatos non invitus accepit. Nam et Universitatis Rector, plaudentibus omnibus, statim electus, et in Regio Navarrae Collegio praeses, et a Rege Aloysio XIV liberalium omnium artium scientiarumque patrono munificentissimo philosophiae linguarumque graecae et hebraicae regius professor est renunciatus. Quum tot tantisque afficeretur honoribus, non tamen animo elatum se circumspicere, magnifice de se sentire, aut alios contemnere quisquam unquam vidit. Quin etiam summam in eo comitatem affabilitatemque sermonis, non vulgarem in tam sublimi honorum gradu rerum omnium modum admirabantur omnes.

Nihil est, quod de ejus honestate vitae, morumque integritate, ceterisque animi virtutibus, quae summae in Moro fuerunt, commemoremus. Tanta vero egenis et calamitosis pro viribus sublevandis liberalitate praesto fuit, ut parum sibi superesset, quod iis distribuendum testamento relinqueret. Caritatis autem in cives suos, quos semper singulari complexus est amore, illustre sane argumentum dedit, quum domum Hibernorum Collegio contiguam aere suo emit, in qua ii exciperentur, qui Dublino studiorum caussa Lutetiam, tamquam ad mercaturam optimarum artium, ventitantes, paupertate premebantur. Atque neque opibus unquam, neque consiliis ullo in loco defuit, quo doctiores in patriam sapientioresque reverterentur. Aliquot ante annis, quam e vita decederet, quum, amissis oculis, Bibliotheca inclusus, quam quidem instructam sibi paraverat libris neque paucis et selectis, studiis suis, quibus toto vitae suae cursu delectatus fuerat, vacare amplius non posset, honestaque hac et liberali

occupatione animum reficere, mercede conduxit, quem statis horis legentem tacitus ipse interea intentoque animo audiret, atque ea, qua posset, voluptate perfrueretur. Neque vero pietatis ac religionis, cui se totum caste integreque devoverat, quaeque Christianum hominem ac vere religiosum decent, officia intermittebat.

Tali modo quum quinque et octoginta annos complesset, atque ad extremam senectutem non minus dignitate, quam gratia et nominis celebritate crevisset, sacris omnibus, quae ad Religionem pertinent, rite sancteque expiatus magno cum amicorum bonorumque omnium, qui cum eo familiarissime vixerant, tum eorum praecipue, quorum inopiae succurrere consueverat, luctu desideratus est.

Decessit X Kal. Septembris anno 1726 in Collegio Navarrae, in cujus sacello, ut ipse praescripserat, sepultus est, ut is locus, quem religionis ergo vivus frequentaverat, mortuum recondere ac custodiret. Bibliothecam suam Hi-

bernorum Collegio, rem familiarem, quae superesset, pauperibus distribuendam reliquit. Ab Universitate solemni pompa justa ei reddita, ejusque memoria generali ac frequentissimo conventu academica oratione celebrata. In sepulcro vero Ant. Johnnes vir politioris literaturae, poeticaeque facultatis studiosissimus, et Lutetiae in aede cathedrali B. M. V. canonicus, qui in primis amicissimi hominis civisque sui casum doluit, hoc inscripsit elogium:

Sideribus genuit faustis Hibernia Morum,
  Et Morum genuit terra Britanna suum.
Quis fuit e geminis major si forte requiris,
  Palma nimis dubia est: magnus uterque fuit.

OPERA EDITA

De existentia Dei, et humanae mentis immortalitate secundum Cartesii et Aristotelis doctrinam disputatio in duobus libris divisa. „ *Parisiis an.* 1692.

Hortatio ad studium linguae graecae et hebraicae recitata coram Eminentissimo Marco Antonio Barbadico Montis Falisci et Corneti Episcopo „ *Monte Falisco an.* 1700.

Vera sciendi methodus. „ *Lutetiae Parisiorum an.* 1716.

Versio Latina Theologiae Moralis juxta S. Scripturam, Canones, et Sanctos Patres Francisci Genet Episcopi Vasionensis. „ *Parisiis an.* 1702.



GUILELMI BONJOURII

Guilelmus Bonjourius Tolosae, perantiqua aeque ac celebri Galliae Narbonensis Urbe natus est Kalendis martiis anno 1670 honesta quidem familia. De prima illius pueritia id satis constat, cum lacte nutricis in Deum ac Deiparam Virginem pietatem suxisse, quam deinde, dum vixit, non modo constantissime retinuit, sed etiam in dies insigniter auxit. Elucebat jam tum in puero singularis modestia, praeclara morum integritas, indoles ad virtutem magna, quae cum omnibus erat admirationi, tum summa omnia ac praeclara portendere videbatur. Politioribus disciplinis operam adeo diligentem dedit, ut industriam laudarent omnes, ingenium admirarentur, quod non humanis viribus, sed ope divina,


ac praecipue Deiparae Virginis enixis precibus implorata, mirifice auctum ineunte adolescentia praedicabant. Quintum supra decimum aetatis annum agebat, quum Dei numine afflatus perfectiorem sibi vivendi rationem amplectendam decrevit, seque totum Deo vovere constituit, eam scilicet putans esse praeclaram beate vivendi et simplicem et directam viam, quae vix rerum humanarum fluctibus alluatur. Quare iis in consilium adhibitis, quos sensuum habebat suorum vitaeque moderatores, censuit e re sua fore vel maxime, si Eremitarum sancti Augustini Familiae primo quoque tempore nomen daret.

Qua re impetrata, praeclaram Guilelmi indolem et animum ad probitatem omnino compositum Tolosatis Coenobii penetralia excepere, ubi summa cum animi alacritate pari cum diligentia studioque conjuncta ad philosophicas theologicasque disciplinas pro studiorum suorum ratione excolendas cogitationes omnes, mentemque convertit. Quibus in facultatibus tam sedulam, tamque assi-

duam operam navavit, ut cum praeceptoribus esset carissimus, tum ceteris, quibuscum ei usus vitaeque consuetudo intercedebat, quosque habebat studiorum socios, stimulos adderet, tantumque ipse proficeret, ut cuilibet muneri brevi par esse judicaretur, quod mores probatissimos exquisitamque doctrinam postularet.

Hac tanta ingenii industriaeque laude non contentus quum, probe intelligeret, philosophicam facultatem sine mathematicis disciplinis mancam prorsus ac debilem esse, his impense studuit, et qua erat ingenii sagacitate ac laboris patientia, felicissime arripuit. Praesertim vero in legendis sanctorum Patrum operibus, cognoscendisque Historiae Ecclesiasticae monumentis versatus est, quibus perfectam sacrorum librorum scientiam, peregrinarumque linguarum, quae ad eorum intelligentiam summopere conducunt, non vulgarem illam quidem, sed numeris omnibus absolutam cognitionem adjunxit.

Tanta eruditionis ac doctrinae fama quum satis esset jam suis notus, Anto-



nio Pacinio tunc Generali Ordinis Ministro permittente, Romam venit quatuor et viginti annos natus. Qua in urbe, quum primum Bonjourii doctrina et probitas innotescere, ac praedicari palam coepit, statim clarissimis quibusque viris probata est; ac nemo fuit, qui non eum sibi familiarem cuperet adsciscere. Quo fiebat, ut nullus Romae esset literatorum hominum coetus, in quem ille libentissime non exciperetur. Quumque nihil interea praetermitteret eorum, quae ad ingenium exercendum conferre posse viderentur, majoremque sibi nominis gloriam et existimationem comparandam, *Dissertationem de Nomine Patriarchae Josephi a Pharaone imposito* typis commisit anno 1696; quae magno eruditorum hominum plausu excepta cum opinionem, quam de eo jam animis praeceperant, confirmavit, auxitque, tum Guilelmo animos addidit, excitavitque, ut eruditionis ac doctrinae studia impensius coleret, atque alia subinde non exigui profecto laboris opera alacrius aggrederetur. Quare anno 1699 Opusculum edi-

dit, quod inscripsit „ *In Monumenta Coptica, seu Ægyptiaca Bibliothecae Vaticanae brevis exercitatio*. Qua in re plurimum valuisse Guilelmum, Cuperus in suis epistolis, Clerkius in sua Bibliotheca, Ossingerus in Bibliotheca Augustiniana, Gravesonius Colloquio XI Historiae Ecclesiasticae, doctissimi eruditissimique viri, qui de eo honorificentissime mentionem faciunt, apertissime testantur.

Nec diu qui vir esset Guilelmus effugere potuit acerrimum illum ingeniorum aestimatorem ac patronum beneficentissimum Clementem XI Pont. Max. qui quanti ejus prudentiam, reconditamque rerum vel difficillimarum doctrinam faceret, cum aliis in rebus, tum in eo praesertim ostendit, quod in ea Congregatione literatissimorum virorum locum habere voluit, qui, Cardinali Norisio viro in primis clarissimo praeside, cui Guilelmus acceptissimus fuit, Kalendarii Gregoriani emendationi impigre studioseque operam dabant. Qua in re tam gravi tamque praeclaro de se sapientissi-

mi Pontificis judicio, ac ceterorum expectationi cumulatissime respondit. Atque hoc nimirum tempus illud fuit, quum non mediocri labore perfectum summaque elaboratum industria *Kalendarium Romanum Chronologorum caussa constructum* in lucem edidit. Magnum propterea inter literatos viros quotidie magis Guilelmi nomen celebrabatur; neque apud Italos solum, sed et apud exteras nationes ejus eruditionis ac doctrinae fama pervaserat. Satis enim multa jam scripserat, quae ad existimationem hominum dimanaverant, atque in ejus admirationem benevolentiamque doctissimos magnique nominis literatos viros adduxerant. Nam, ut Cuperum, Ayrolium, Mussolicum, Montfauconium, Janningum, Perronium, Casinium, Belletium taceam, Magliabecchius, Fontaninius, Muratorius, Blanchinius, Nicaisius, viri de literaria republica optime meriti Guilelmi amicitiam coluerunt, ejusque in literariis rebus, omnique eruditionis genere judicium plurimi semper fecerunt, et admirati sunt.

Summa nominis celebritate quum esset, Marcus Antonius Cardinalis Barbadicus (cujus immortalium in hanc urbem meritorum memoriam nulla umquam obliterabit vetustas) qui , ut huic Seminario et Collegio nostro famam et existimationem conciliaret, praestantissimos artium et disciplinarum doctores ac magistros unde unde conquirebat, honestissimis eum conditionibus invitavit, eique studiosae juventutis in sacris literis erudiendae provinciam detulit. Guilelmum itaque Seminarium hoc et Collegium sacrarum literarum interpretem per quinquennium habuit illa industriae atque ingenii commendatione , illo mentis acumine , illo divinae scientiae apparatu , quem publicae pugnae non semel frequentissimo eruditorum virorum coetu ex more decertatae demonstrarunt. Non ille exsuccum quidpiam auditoribus suis exhibebat , sed plenum ac perfectum , quodque argumentorum vi, variaque eruditione animos percelleret ac mira prorsus voluptate perfunderet. Extant etiamnum ,, *Triduana de Canone Librorum Sa-*



crorum Concertatio ex typis hisce nostris edita anno 1704, et *Selectae in Sacram Scripturam Dissertationes*, anno 1705 impressae, praeter *Tractatum de Computo Ecclesiastico*, quem jam inde ab anno 1702 publici juris fecerat; quae non vulgarem quidem, sed penitus reconditam multiplicemque Guilelmi eruditionem, acerrimumque in rebus difficillimis judicium, exterarumque linguarum peritiam prope singularem satis superque declarant.

Quum haec tanta tamque praeclara splendoris et gloriae huic nostro literarum bonarumque artium domicilio Guilelmi opera et industria accessio fieret, non sine ingenti, cum hujus nostrae civitatis, tum universae dioeceseos jactura et luctu Marcus Antonius Barbadicus de vita decessit. Quo mortuo, nec ita multo post, Guilelmus ab Adeodato Nuzzio tunc Generali Ordinis Ministro revocatus, sponte docendi munere abdicato, summo cum studiosae juventutis, quam erudiebat, moerore, collegisque omnibus praeter modum dolenti-

bus, Romam rediit. Qua in urbe majorem fortasse apud suos quietem atque otium nactus, zothecula inclusus se totum studiis abdidit, pluraque conscripsit, quae si in lucem edidisset, magnum certe laborum suorum ab eruditis viris fructum coepisset, novumque decus literariae reipublicae comparasset. Extant enim Romae, et in peculiari Angelicae Bibliothecae cubiculo seorsum manu scripta adservantur „ *Lexicon Ægyptio-Latinum juxta radices Linguae Ægyptiacae* „ *Antiquitas temporum novis plerumque observationibus illustrata ex sacris Paginis, et exoticae historiae monumentis Chaldaicis, Phoeniciis, Ægyptiacis, Sinensibus, Graecis hebraicae veritati consonantibus* „ *De Dinastiis Ægyptiorum* „ *Grammatica Hebraica.* Quae omnia, etsi assiduos, nec mediocres sane labores plurimasque vigilias requirerent, ita tamen, quod plurimi plane obstupescerent, ille confecit, ut nulli interea religiosi hominis officio usquam deesset, nihilque eorum omnium, quae coenobii religiosissimi publicae leges, quarum fuit tota

vita servantissimus, praeciperent, ullo umquam tempore, praetermitteret.

Haec dum ageret, magno interea animorum aestu exortae jam diu apud Sinenses agitabantur controversiae, quae Christianam Rempublicam rei magnitudine suspensam solicitamque non mediocriter habebant. Quare visum est Pontifici virum deligere, qui Turnonio, quem immortalibus in Religionem ac Sedem Apostolicam meritis in amplissimum Purpuratorum Patrum Senatum cooptaverat, jamdudum apud Sinenses agenti, simul cum mandatis ac literis pro re nata novae in eum collatae dignitatis insignia perferret. Non pauci profecto fuerunt, qui tantum sibi honorem deferri cuperent, atque adeo enixis precibus postularent: quum Pontifex, qui Guilelmum probe norat, eum unum ex omnibus delegit, cujus fidei, prudentiae, atque integritati, quam jamdiu cognitam ac spectatam habebat, rem tantam, cum dignitatis, tum periculosae plenam aleae, committeret; quum praesertim is esset, qui praeter Ægyptiam et Arabicam, Si-

nensem etiam linguam optime calleret ac loqueretur.

Hoc honore, tam singulari in se tanti Pontificis benignitate, prae ceteris, et prudentia et dexteritate praestantibus viris, ornatus, nulla rei difficultate aut itinerum incommodis deterritus, jam tum animo et cogitatione praecipiens, quam honeste atque utiliter labores atque operam collocare suam posset, si in iis, quae ad christianae fidei veritatem religionemque pertinent, ignaros homines atque incultos quoquo modo erudiendi, quod jam diu votis omnibus optaverat, occasionem nactus esset, lubenti alacrique animo delatum onus suscepit, et Roma discedens anno 1707 magnis itineribus Amacaum recta contendit. Quo quum feliciter pervenisset, Turnonium adiit, cui, quum literas atque amplissimae dignitatis, qua eum Pontifex pro merito auctum ornatumque voluerat, insignia tradidisset, ceteraque sibi suaeque fidei mandata concreditaque diligenter fideliterque perfecisset, cum eo de procuranda animarum salute, et Chri-

stianae Religioni, qua posset, utiliter inserviendo consilium, quod sibi in animo jam ante proposuerat, communicavit. Tam egregiam tamque propensam Fidei Religionisque amplificandae voluntatem summopere commendavit Turnonius, eumque ad opus tam praeclarum tamque salutare, quibus potuit verbis hortationibusque paratum jam per se satis volentemque confirmavit, bonoque animo esse jussit.

Mutato itaque de Turnonii sententia justis de caussis Guilelmi nomine, Fulgentium cognomento Fabrium, quod ex materna familia mutuatus est, Romanae Ecclesiae Clericum dici deinceps voluit; seque Pekinum, primariam vastissimi quidem atque opulentissimi totius Sinensis Imperii urbem, ad Imperatorem se contulit. Qui, quum Fulgentium mira eruditione, singularique rerum mathematicarum doctrina praestare jam ante audivisset, cumque talem revera tum ex hominis sermone, tum ex iis, quae, se praesente, ut industriae ingeniique sui specimen aliquod palam

omnibus praeberet, non invitus gesserat, cognovisset, qualis omnium sermone ac fama celebrabatur, benigne liberaliterque exceptum, magnisque affectum honoribus, non ita multo post una cum Stridellio clarissimo viro in eam Scythiae partem, quae nunc Magna Tartaria dicitur, mittendum censuit, ut sedulo diligenterque regnorum, quae in ea continentur, fines describeret.

Quare Pekino, iis omnibus, quae tum itinerum, tum rei magnitudo postulare videbatur, splendide quidem copioseque instructi, discedunt, atque ingenti erectoque animo Imperatoris jussu ac nomine magnum sane ac laboriosum opus aggrediuntur, ac provinciis regnisque omnibus summa cum diligentia improbo non sine labore ac molestia peragratis, tandem absolvunt.

His perfectis, quum eadem, qua coeperant, laborum assiduitate, animique contentione Junnaniae provinciam describendam suscepissent, in Arisabii regno Guilelmus improviso acuta febri correptus est, quam is statim gravissi-

mam periculosissimamque sensit. Quum frustra remedia essent adhibita, atque in horas vis morbi ingravesceret, iis omnibus, quae ad expiandos animos Deumque placandum divinitus instituta sunt, rite persolutis, fidenter sane, ut ii solent, qui optima mentis conscientia sustentantur, intra paucos dies mortuus est VIII Kalendas Januarias anno 1714. Vixit annos quinque et quadraginta doctrina non solum, sed et morum suavitate et integritate vitae omnibus carus, quibuscum ei familiaritas intercessit; suique desiderium ex hac vita migrando apud omnes maximum reliquit.

Immaturam tanti viri mortem doluit et ipse Sinarum Imperator, qui, re nuntiata, singularem benevolentiam suam erga Guilelmum in hoc saltem testatam voluit, quod mortui cadaver, balsamo perunctum, Pekinum per trecenta millia passuum deferendum mandavit, ibique in Ecclesia Christiano ritu consecrata cum pompa funeris jussit sepelliri.



ALEXANDRI MAZZINELLII

Alexander Mazzinellius, immortale illud gentis nostrae decus et ornamentum, Valentani Farnesiorum olim Ducum Oppido non ignobili, totiusque ditionis post Castrum dirutum primario, honesto loco natus est anno 1671. Praeclara jam inde a prima aetate docilitatis, ingenii, bonitatis morum, singularis in Deum pietatis argumenta dedit. Nam parentibus obsequi, majores natu vereri, aequales morum suavitate sibi devincire, perniciosam malorum societatem magna animi provisione devitare, sacras aedes frequenter adire, ibique provolutus in genua abdito in loco diutissime totus ad modestiam pietatemque compositus intenta supplicatione sibi Deum propitiare non sine ingenti suorum admira-

tione solebat. His ornatus moribus mirificum quemdam non parentum modo, sed aliorum etiam cujuscumque aetatis ac conditionis amorem sibi plane conciliavit; ac nemo erat, qui non omnia bona diceret, ac parentum fortunam laudaret, qui filium haberent tali praeditum ingenio. Quamquam alia etiam, fortasse non minora, in eo erant, quae cuncti mirarentur. Nam quod plerumque omnes faciunt adolescentuli, ut animum a labore et vigiliis ad otium ac ludicra facile adjungant, horum ille nihil studebat, sed honeste quidquid sibi ab iis artibus, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, supererat temporis, quacumque ratione posset, atque utiliter in iis rebus, quibus ad sapientiam proficeret, sedulo collocabat.

Abdicatis itaque puerilibus nugis atque oblectamentis, nullam aliam, nisi sapientum virorum consuetudinem avidissime appetebat; quos de seriis utilibusque rebus diserte graviterque disserentes audiret, quorum saluberrimis documentis ac praeceptionibus melior in

dies fieret, et prudentia, quantum per aetatem liceret, doctior. Politioris humanitatis et communium literarum institutionibus parentum cura et diligentia in patria imbutus, non adumbrata jam, sed expressa indicia dederat futurae virtutis; quae sicuti alieno in solo clarius splendescere solet, ita optimus adolescens miro quodam ejus assequendae, augendaeque quotidie magis amore inflammatus ad hanc civitatem, ad hoc Seminarium Collegiumque, Deo sic volente, se contulit. Huc ille eo tempore tamquam ad bonarum artium mercaturam virtutumque omnium accessit, quo tempore clarissimum illud Purpuratorum Patrum lumen, rerumque nostrarum omnium firmissimum praesidium divinitus datum nobis atque impertitum, Marcus Antonius Cardinalis Barbadicus, de cujus laudibus quum multa dixeris, plura tamen praedicanda supererunt, hanc ipsam Musarum sedem, atque erudiendae juventuti Domicilium, ad eam, quam ipsi conspicimus, amplitudinem

nullis parcens sumtibus excitandum curabat.

Alacris itaque et ad omnia summa natus Alexander , statim eas literas aggressus est, quibus ad elegantiorem animi cultum adolescentum ingenia informantur. Quas brevi, ut pote qui ingenii acie non modo , sed industria etiam supra omnes, quoquot aderant, studiorum socios mirifice pollebat, ea celeritate arripuit, ut praeceptoribus, quibus ob singularem ejus in bonas artes amorem pari cum pietate conjunctum apprime carus erat, admirationi esset, aequalium ceterorumque quibuscum versari cogebatur, vel aemulationem , vel invidiam excitaret.

His initiis ac fundamentis gloriae positis , a politioribus literis ad severiores disciplinas evocatus, eodem, quo coeperat, animi ardore atque incredibili alacritate et studio ad omnia sive naturae, sive altissimarum divinarumque rerum ea , qua praeditus erat, mentis acie sollertiaque perscrutanda arcana perlustrandaque operam impense contulit. Nihil erat in his studiis sublimioribusque di-

sciplinis tam abditum, quo non pervaderet, nihil tam arduum atque aliis insuperabile, quod non ingenii viribus, industria, labore, vigiliis facillime superaret; nullumque fuit ingenii periculum in privatis publicisque disceptationibus, quod non libentissime subiret; et quo summo cum praeceptorum, auditorumque frequentiae, ac praecipue Eminentissimi Principis, qui paterna quadam caritate optimum eximiaeque spei adolescentem complectebatur, plausu non defungeretur.

Tanta ingenii gloria quum jam apud omnes floreret, ejusque vitae morumque probitas ab omnibus praedicaretur, minimum tamen ipse de se loquebatur ab omni prorsus arrogantia et ambitione alienissimus. Ita sapienter vitam instituerat, ut facile omnes, quibuscum vivebat, perferre ac pati; his se se dedere, eorum obsequi studiis, adversari nemini, numquam se illis praeponere soleret. Quo vivendi genere facillime sine invidia laudem invenias, et amicos tuique studiosos pares. Augebatur in dies

nobilis quidam discendi ardor atque cupiditas.

Quare iis omnibus defunctus, quae tum ad pietatem, tum ad ingenium in liberalibus disciplinis exercendum Seminarii hujus et Collegii leges atque instituta ab studiosis adolescentibus requirunt, reliquo diei tempore, quantum quantum erat, abdebat sese in Bibliothecam librorum copia ad juvenum animos excolendos satis instructam; ibique aut legens, aut scribens literis se involvebat. Adolescens natus ad sapientiam nullam eruditionis partem ignorare velle videbatur; et quasi helluo librorum nihil reformidans inanem vulgi reprehensionem, quocumque in loco quum otiosus erat, in ipsis publicis viis saepe legere solebat. Ne quid sibi ad politiorem literaturam et eruditionem deesset, latinae graecam, hebraicam, gallicam etiam linguam adjunxit. Mirari jampridem egregiae indolis, doctrinae virtutisque in adolescente praestantiam coeperat numquam satis pro dignitate laudandus Marcus Antonius Cardinalis Barbadicus, ac pro paterna,

qua erat, caritate, supra ceteros omnes complecti. Nec dubitandum illi diutius fuit, quo potissimum adjutore in iis uteretur, quae tum ad liberalem juventutis institutionem, tum ad Seminarii et Collegii studiorumque rationem pertinere videbantur.

Emenso enim studiorum omnium stadio, quum annum aetatis attigisset vix alterum et vicesimum publice tradendae philosophiae ab eo demandatum sibi munus Alexander suscepit, summaque cum ingenii laude, communique omnium plausu per plures annos sustinuit. Verum quod ei sagax et ad sublimia mirifice factum natura ingenium largita erat, et reconditiores sanctioresque disciplinas quotidie magis excolere ac diligere videbatur, ei Cardinalis Theologiae cum Scholasticae, tum Dogmaticae publice profitendae provinciam detulit, quam ille deinceps per tot annos usque ad extremum vitae suae tempus tanta nominis sui commendatione docuit, tantaque auditorum, qui ab exteris etiam regionibus ejus famae celebritate permoti in Se-

minarium hoc nostrum Collegiumque confluebant, frequentia, ut singularis adhuc apud omnes memoria sit ejus magisterii. Qua quidem re cum omnibus, qui eum audiebant, cumulatissime satisfecit, tum Cardinalem, qui bonas artes ac disciplinas vehementer fovebat, moribusque adolescentum pie honesteque formandis mirum quantum advigilabat, ita sibi devinxit, ut is optimo sane consilio Seminarii Collegiique supremum moderatorem Studiorumque praefectum Alexandrum renuntiaret; ut qui ceteros prudentia sapientiaque facile antecederet, idem etiam ceterorum studiis ac disciplinae praeesset.

Hoc munere auctus Scholis omnibus aemulatione excitandis, pietatique promovendae sedulo animum adjecit, eo successu, qui Eminentissimi religiosissique Principis opinioni ac votis nedum plane respondit, sed et omnium expectationem longe superavit. Nec mirum. Nam cum pietate ac docrina jungebat prudentiam, quae virtus merito gubernandi ars dicitur: neque ei in summa

comitate affabilitateque deerat gravitas ac severitas, ut difficile esset intellectu, utrum eum adolescentes magis vererentur, an amarent. Ad haec atque alia, quae natura dederat, animi bona, singularis quaedam industria et labor assiduus accedebant. Numquam non illum, tot licet curis occupationibusque distentum, aut legentem aliquid invenisses, aut commentantem, aut scribentem, aut privatim in cubiculo, vel publico in ludo docentem; idque ea diligentia et copia et acumine, et, quod caput est, eo ordine, ut omnes intento animo libentissime audirent, invitissimi ab eo discederent.

Ceterum in amicos officiosus, in bene de se meritos quosque gratus: modestus praeterea, demissus, unoque verbo moribus integerrimis et honestissimis fuit, ut hac etiam de caussa fieret, ut qui illo familiariter uterentur, hi longe carissimum haberent. Necesse non est commemorando percensere viros cum ex nostris hominibus, tum ex exteris etiam nationibus, genere, dignitate, doctrina

clarissimos, qui vel omnigena eruditione morumque suavitate capti, vel nominis celebritate ac fama permoti omnibus necessitudinis ac voluntatis officiis cum Alexandro fuere conjunctissimi. Nam ut praeteream Marcum Antonium Cardinalem Barbadicum, qui, dum vixit, eum tanti semper fecit, ut quum ex hac vita sibi demigrandum esse intelligeret, eidem Seminarii hujus atque Collegii procurationem omnem testamento etiam commendatam voluerit, Pompilium Bonaventuram Episcopum, qui Dioecesanae Synodi, quam ipse convocandam curaverat, leges ac Decreta juxta sacrorum Canonum regulas unius Mazzinellii prudentiae, spectataeque jamdiu sibi planeque cognitae in ecclesiastica disciplina intelligentiae conscribenda concinnandaque commisit; quod opus reconditae cujusdam eruditionis et orthodoxae doctrinae plenissimum jam tum in lucem editum habemus in manibus, et admiramur; Pompejum Cardinalem Aldrovandum, qui ad acerbissimum atque inopinatum de Alexandri obitu nuncium adeo

perculsus fuit, ut scriptis Ravenna, ubi tunc Legati munere fungebatur, literis aegritudinis ac luctus plenissimis eo se graviore affectum vulnere significaverit, quo majore illum antea benevolentia fuerat prosequutus; ut hos praeteream Ecclesiae hujus nostrae sapientissimos integerrimosque Antistites, quorum alter alteri in hujus provinciae administratione successit, apud quos summo semper in honore ac deliciis fuit, instar omnium erit benignitas illa ac singularis humanitas, qua Clemens XI atque Innocentius XIII Pontifices Maximi Alexandrum complecti consueverunt; qui non eum solum paterno quodam amore prosequuti sunt, verum etiam, quod maximorum Principum summa laus est, iis muneribus ac donis, quae virtutis praemia solent esse, munificentissime cumularunt. Quorum primus Romam etiam venire ad se Alexandrum jussit, ut eum de *Bulla Unigenitus*, quam editurus erat, quid sentiret, praesentem rogaret, ejusque etiam opera in re tam difficili gravissimaque uteretur.

Neque vero apud Benedictum XIV sapientissimum illum Pontificem ac literarum literatorumque aestimatorem sagacissimum minore in honore atque auctoritate fuit, a quo praeclarissimum etiam praecipuae cujusdam laudis et existimationis testimonium accepit. Quum enim Alexander Benedictum (qualem proh Dii immortales quantumque Pontificem!) adisset, ut ei collatam habitis paullo ante Comitiis in universam christianam rempublicam supremam potestatem sacris pedibus advolutus gratularetur, non modo eum eximia benevolentia Pontifex humanissimus excepit, sed etiam praesentem videre, amantissime complecti, tantique viri colloquio frui jucundissimum sibi esse multis audientibus apertissime significavit.

Quanti vero ejus ingenium, divinarumque rerum ac disciplinarum scientiam faceret, illud magno argumento fuit, quod, quum ab se humanissime dimitteret, id ei oneris imposuit, ut Scholastico-Dogmaticas ex universa Theologia Institutiones, quas per tot annos in hoc

Seminario et Collegio publice auditoribus suis tradiderat (quarum quoddam quasi specimen nobis exhibet „ *Tomus primus de Locis Theologicis* „ qui , Laurentio Migliaccio curante, Panormi prodiit anno 1743) in usum studiosae in tota Pontificia Ditione juventutis in vulgus ederet.

Huc ad nos Roma reversus, quum jam , ut tanti Pontificis auctoritati et imperio obsequeretur , totus in eo esset, ut opus sedulo urgeret , inopinato non tam aetate, quam laboribus vigiliisque confectus in morbum incidit, cujus magnitudine quamvis animus non frangebatur , debilitari tamen quotidie magis corpus sentiens , omnibus , quae ad religionem pertinent , rite sancteque persolutis , quum moribunda , ut poterat , voce Christi imaginem e cruce pendentis (quem semper in sinu atque oculis gestasse aperte testatur aureum illud opus *Uffizio della Settimana Santa* a Mazzinellio opportune concinnatum, illustratumque , quod non semel Romae aliisque in urbibus editum est) sibi cordi

apponi jussisset annos septuaginta natus VIII Idus Martias, anno 1741 diem suum obiit, tanta quidem animi constantia et vultus hilaritate, ut beatam illam terram videre videretur, in quam tamquam in portum ex longa navigatione esset venturus.

Ejus corpus ea, qua par erat, pompa elatum, atque in aede cathedrali, in qua Sacristatus, quam dicunt, dignitate jampridem auctus ceteris omnibus doctrina et illustrium virtutum exemplo praeiverat, mortui laudes eleganti oratione praedicante Bartholomaeo Betti Valentanensis ecclesiae canonico, qui per ea tempora in hoc Seminario eloquentiam summa cum ingenii et existimationis fama profitebatur, ingenti totius cum Cleri, tum Civitatis luctu conditum est.

VITA

ANDREAE BASSANI

Andreas Bassanus, cujus vitam summatim exponere nobis in animo est, honestissimis parentibus Pordenone natus Foro Juliensi Venetae ditionis urbe insignium sane tum doctrinae tum eruditionis fama virorum procreatrice foecundissima. Ineuntis aetatis tempus omne in graecis latinisque literis addiscendis Chisio, Fabro, Lorenzonio, Facciolato, eruditissimis aeque ac eloquentissimis praeceptoribus usus adeo impense consumpsit, ut jam tum a teneris annis, veluti ex herbescenti segetum viriditate futuram messem, qualis postea in iis futurus esset, facile cuivis liceret augurari. Vix unum et viginti annos attigerat, cum Bassani fama permotus Cardinalis Priulius Vicetinus Episcopus honestis-

simis eum conditionibus ultro advocavit, ut in Seminario suo, cui dignitatem ac decus addere enixe cupiebat, rhetoris, studiorumque Praefecti officio fungeretur.

Vicetiam, ne tanti viri detrectaret imperium, profectus, totum sese humaniorum literarum studiis abdidit; itaque et oratoria et poetica facultate sibi concreditos adolescentes per sex annos imbuit, ut eos cura atque industria idoneos reddiderit, qui postea non sine laude in magistri locum sufficerentur.

Quo facto, non sine contubernalium praestantissimorum virorum, quibus apprime carus fuerat, dolore, munere, quod tanta cum laude exercuerat, sponte abdicato, Patavium, in illud nempe disciplinarum omnium bonarumque artium domicilium commigravit; ibique cum Jacobo Facciolato de literis omnibus optime merito diu familiarissime vixit; qui Bassanum ob eximias tum ingenii, tum animi dotes adeo dilexit, ut postea in literis, quas ad eum misit, filii nomine amantissime appellaverit. Cum interim ejus ingenium atque

eloquentia in dies magis omnium sermone celebraretur, Benedictus XIV, quem, ut aequum est, honoris atque amplitudinis caussa nomino, sapientissimus ingeniorum aestimator, qui tum Ecclesiam universam gubernabat, Bassano *Enchiridium* ex opere jam a se edito de *Sacrificio Missae* conficiendi curam mandavit. Quod quam summo Pontifici acceptum probatumque esset, ex eo satis aperte quivis conjicere possit, quod idem ut gratum animum Bassano nostro quoquo modo ostenderet, eum Concordiae canonicum ultro creavit. Cujus dignitatis amplitudo non modo eum a studiis non retardavit, quin immo effecit, ut majore etiam animi contentione ad ea recolenda se totum conferret. Obibat ille quidem omnia personae, quam sustinebat, officia diligentissime; neque tamen interea reliquum tempus otiose absumebat, sed repetitis de integro studiis, graecos latinosque scriptores ita studiose pervolutabat, ut eos in succum ac sanguinem suum converteret. Quin imo *Enchiridium* alterum ex ejusdem nunquam

satis laudandi Benedicti XIV opere *De festis Domini, et B. Mariae Virginis, et de Sanctis ad Ecclesiam Bononiensem pertinentibus* eo tempore confecit, ediditque typis Seminarii Patavini. Qua de re non modo sapientissimorum hominum, sed etiam virorum principum studium in se convertit, prae ceteris Cardinalium Livizani et Boschii. Quin ipsi Benedicto XIV adeo se probavit, ut ab eodem oblatus illi fuerit Episcopatus, cui se subtraxit Andreas non vulgari moderationis exemplo (*).

Jacebant per ea tempora Seminarii hujus nostri literae malo quodam fato squalore ac sordibus obrutae, potentisque viri opem ac subsidium opperiebantur, cujus auctoritate e tenebris in lucem vindicarentur. Quod cum eidem sapientissimo Pontifici per Marium Maffejum Fulginatem Episcopum, qui tum

---

(*) De eodem mentionem faciunt Ephemerides literariae (Le Novelle della Repubblica letteraria) ad annum 1747, et Mazzucchellius Vol. II. pag. 522.

salebrosam et multis undique difficultatibus impeditam Ecclesiarum Montisfalisci et Corneti provinciam singulari propemodum prudentia ac dexteritate administrabat, innotuisset, cumque is aegre ferret, florentissimum antea musarum domicilium splendorem ac decus, quod jampridem apud exteras quoque gentes obtinuerat, amisisse, cuperetque in pristinam dignitatem restitui, Bassanum e domestico otio, ubi in jucundissimo literarum sinu delitescebat, honorificentissimo decreto excitum voluit, atque huc ad nos missum, ut adolescentibus nostris iter ad studia praeiret, jacentesque humaniores disciplinas ab interitu pene revocaret.

Bassanus Pontifici Maximo dicto audiens continuo in hoc Seminarium se contulit; ac primum in solemni studiorum instauratione de graeca lingua orationem habuit luculentam et eruditam, quae Benedicto XIV dicata Romae edita est anno 1753. Rhetoris vero studiorumque praefecti munus tam praeclarum tamque honorificum quam graviter, quantaque cum

laude sex annos antequam excessit e vita, quantaque cum studiosae juventutis utilitate in hoc Lyceo sustinuerit, nihil attinet apud eos commemorare, qui singularem illius ac nunquam intermissam industriam et solicitudinem probe norunt. Hoc unum asserere non dubitabo, Bassanum aureum latinitatis seculum huc invexisse, et perpetua civitate donasse.

Neque est, cur de ejus integritate vitae, de pietate in Deum, ceterisque virtutibus, quae christianum hominem decent, multa dicamus; quarum omnium testimonia, cum in omni reliqua vita, tum certissima et luculentissima dedit, quum gravissimo hydropis morbo, qui certam jam et imminentem mortem minitabatur, oppressus jaceret. Grassabatur in dies impune magis per cutem et intestina exitialis ille morbus: urebat medullas siticulosa febris: lacerabant peritae medicorum manus quaque versus male affectum corpus. Doloris acerbitate opprimebatur ille quidem, ut nec manus tollere, nec pedes amplius posset; sed

animum revocabat a sensibus quantum poterat, rerumque caelestium ac praesertim Christi Domini cruciatuum contemplatione recreabat.

Ingravescente interea morbo, peccatorum veniam non sine lacrimis, intimoque doloris sensu a Deo sibi dari efflagitavit; ac tandem sacramentis omnibus rite religioseque susceptis cum incredibili eorum, qui tum morienti aderant, animi commotione ac moerore, duos et quadraginta annos natus IV Idus Februarias anno 1759 ex hac mortali et misera ad immortalem beatamque vitam, ut speramus et cupimus, evolavit.

Ceterum multa scripsit et soluta et ligata numeris oratione elegantissimo stilo, et ad auream felicissimi seculi latinitatem mirifice facto. Ei rei sunt indicio praeter duas Epistolas elegantiae doctrinaeque plenissimas cl. viro Joanni Antonio Vulpio datas de vera cujusdam apud Propertium loci lectione et interpretatione, quae una cum eloquentissimi in Patavino Gymnasio humaniorum literarum professoris responsione in sele-

ctissimis ad eum Propertii locum commentariis ejusdem studio et labore editis leguntur, *Vita Alexandri Knips Macop* medici praestantissimi, quae *Scannagatti* nomen praesefert; *Disceptatio de Diptico S. Helenae* simulato cujusdam patris de *Turre* nomine; quae omnia in vulgus sunt edita. Quae reliqua sunt, sperare juvat, egregii ac religiosi viri, penes quem asservantur, qui cum Bassano familiarissime vixit, opera et cura visura quamprimum lucem.

Haec habui, quae dicerem de tanto viro, cujus literariae institutioni me plurimum debere profiteor, quique majora et praeclariora erat praestiturus, si tempora, si vitae spatia sivissent.



JOSEPHI SARTINII

Josephus Sartinius Faliscodunensis. Huic ab adolescentia ad scholas celebrandas Seminarium sorte patuit. Atque ut erat eximio ingenio et industria, facile ad se magistrorum curas convertit, praesertim Andreae Bassani, qui jussu Benedicti XIV in hoc eodem Seminario Rhetoricam id temporis profitebatur. Bassano duce et auspice, Rhetoricae studia absolvit, ad quae potissimum videbatur a natura comparatus. Graviores disciplinas deinde aggressus majorem in dies de se excitavit expectationem. Philosophiam enim, et Geometriam cum laude assequutus est; Iuri deinde civili, atque Dogmaticae Theologiae ita vacavit, ut in publicis experimentis neminem non modo superiorem, sed ne pa-

rem quidem habuerit. Hoc vero notatu est dignum, ab ipso, licet sublimioribus scientiis dedito, nunquam oratoria, ac poetica studia fuisse intermissa. Constat enim etiam illud, praeceptori suo, qui aqua intercute afflictabatur, in re literaria quacumque, subcisivis praesertim horis, ita fuisse auxilio, ut Bassanus ipse Sartinium laborum suorum socium adjutoremque habuisse ultro asserere non dubitaverit.

Studiorum curriculo cum laude confecto, Xaverius Justinianus Episcopus captus adolescentis et humanitate et doctrina Seminarii sui alumnos humaniores literas jussit edocere. Qua quidem in re communi omnium expectationi ita respondit, ut Xaverius idem non multo postea ad Rhetoricae cathedram Sartinium promoverit. Is vero, ut quam gratam animi significationem Xaverio vivo ostenderat, mortuo etiam confirmaret, praeclaras illius virtutes laudatione complexus est (*).

(*) Haec oratio edita est typis Seminarii et Collegii anno 1771.

Carus subinde fuit Josepho Cardinali Garampio Episcopo literatorum omnium amico et patrono, cujus doctrinam et eruditionem sapientes viri nunquam admirati sunt satis. Hujus praeclarissimi principis hortatu grammaticalium elementorum libros duos, quos ad fratris filios privatim instruendos jam elucubrarat, typis mandavit, ut Seminarii et Collegii adolescentibus facilius expeditiusque iter ad literarum studium aperiretur. Qui quidem libri non modo in nostris, sed in aliis etiam publicis privatisque scholis magno non sine adolescentulorum progressu perpetua civitate donati sunt. Garampio eodem auctore ac suasore, Marci Tullii Ciceronis orationes ad nostrarum scholarum usum notis eruditissimis illustravit. Postea Catullum, Tibullum, Propertium Joannis Antonii Vulpii vestigiis insistens locupletissimis ornavit declarationibus; quae apud omnes eo fuerunt in pretio, ut non modo Romae, ubi rursum editae sunt anno 1836, sed apud exteras quoque regiones earum usus habeatur plurimi.

Interim Cardinalis Garampius ob eximia Sartinii in Seminarium et in Ecclesiam suam merita Cathedralis Aedis Canonicum theologum prae ceteris competitoribus elegit. Quo quidem in munere et probitate et doctrina munificentissimi principis gratiae respondit tum praecipue, cum in doctissimorum hominum caetu lauream est consequutus. Haec vero dignitatis et munerum accessio nec Sartinium extulit, nec ab literarum studiis retardavit. Tanta enim erat modestia, ut in iis ipsis libellis, quos jam in lucem ediderat (quae res fuisset perhonorifica) nomen suum noluerit inscribi. Assiduo autem assuefactus labori adolescentes liberalibus disciplinis instruendo prope solidos consumebat dies ; noctium partem saepe vigilabat nunc scribendo, nunc graecos latinosque scriptores legendo, et commentando.

Atque hoc loco non est praetereundum tantam Sartinium usu et exercitatione adeptum fuisse cognitionem in Virgilii Horatii Ciceronis scriptis, ut siquando oculorum morbo, quod saepissi-

me ei obveniebat, laboraret, memoriter auctores recitaret, et explicaret non sine magna discipulorum, qui ex ejus ore pendebant, admiratione.

Hac diligenti scriptorum lectione recreatus atque enutritus penitiorem latinae linguae indolem ita pernovit, ut ad quaelibet cogitata cum dignitate exprimenda illi haec ex natura efflorescere videretur. Ad tam eximiam atque illustrem latinae linguae peritiam perfecta accesserat poeticae facultatis cognitio. Carmina enim conscribebat stilo ita eleganti, ut nec ordo nec ingenium nec delectatio in iis desideraretur. Ejus academicae exercitationes, quas publice singulis annis habebat, praeclarum exhibent testimonium. Utramque facultatem tum oratoriam tum poeticam admirati sunt non modo Seminarii Patavini professores, sed et Josephus Marottus Pii VII ab epistolis latinis, et Vincentius Campanarius praestanti vir ingenio et eruditione, quorum uterque non semel rerum suarum judicem voluerunt.

Quapropter tanta ejus doctrinae et eruditionis fama percrebuerat, ut ejus scripta passim summaque aviditate perlegerentur, eique e manibus, ut ita dicam, eriperentur. Hinc est, ut non minorem gloriae fructum, quam Bassanus, Lucinius, Castius, quos et antecessores habuit et amicissimos, ex hujusmodi studiis Sartinium collegisse vere videar posse dicere. Praeter autem singularem doctrinam in eo erat mira quaedam dexteritas in adolescentibus erudiendis. Se facilem omnibus praebebat: nolebat adolescentes in plura distrahi; ea quae ad rem erant, ex quo fonte deberent haurire, veluti digito commonstrabat. Quare mirum non est, ex ejus schola summos prodiisse viros (*), quorum doctrina, et dignitate Seminarii nomen et decus asservatum et adauctum est.

(*) Inter Sartinii discipulos praecipue recensendi sunt amplissimi S. R. E. Cardinales Joannes Castilioneus, Fabricius Turriotius, Vincentius Macchius.

Josepho Cardinali Garampio mortuo successit Joannes Sifredus Cardinalis Maury, qui Sartinio non minorem ostendit benevolentiam. At ipse a tam laborioso docendi munere, quod annos fere quadraginta exercuerat, jam cupiebat relevari. Itaque id saepius efflagitavit. Ejus obtestationibus tandem cessit Sifredus; Seminarii tamen moderatorem esse voluit. Non multo post Gallorum copiis Romanam provinciam invadentibus, quum Cardinalis Maury clam, quemadmodum ceteri S. R. E. Cardinales, fugam arripere coactus fuerit, ne in hostium potestatem veniret, tum Sartinius ab obligata se exsolvens fide, domum se recepit, ibique in privato literarum sinu, tanquam in tutissimo portu tamdiu conquievit, quamdiu Ecclesiae rebus tranquillatis, ad Seminaria instauranda studium omne conferre Episcopis datum fuit.

Hoc in tempore Ridolphinus de Connestabilibus Viterbii Episcopus renuntiatus quum damna Seminario suo illata reparare, ejusque famam latius propagare in animo haberet, viros omni scientia-

rum genere peritissimos amplissimis conditionibus undequaque arcessebat. Quos inter ut Sartinium haberet, nihil intentatum reliquit. Crebras ad illum mittebat literas amoris ac benevolentiae plenissimas, velut si longo inter se amicitiae foedere fuissent devincti. Iteratis itaque Ridolphini postulationibus cum Sartinius refragari diutius non posset, Viterbium adiit, Seminarii habenas vel invitus suscepit. Prima ejus solicitudo fuit, Episcopo approbante, leges ac normas, quas typis commisit, praescribere ad Seminarii disciplinam et scientiam promovendam, quibus Viterbienses hodie quoque utuntur.

Quantam hoc in munere prudentiae ac probitatis existimationem sibi comparaverit, Viterbienses ipsi, apud quos gratissima illius adhuc extat memoria, sunt testes locupletissimi. Atque hic silentio praetereundum non est, Sartinium Paulo Polidorio (*), qui tunc Vi-

(*) Paulus Polidorius hodie amplissimus S. R. E. Cardinalis Praefectus S. Concilii Tridentini decretis interpretandis.

terbii vicaria potestate fungebatur, et Evasio Leone, qui eodem in loco rhetorices moderator existebat, familiarissima usum esse. At post triennium, Ridolphino vita functo, in patriam remigravit, ubi reliquum vitae cursum cum suis traduceret.

Verum post non longam rerum intercapedinem Bonaventura Gazola Episcopus Cerviensis Ecclesiae hujus Apostolicus administrator factus, quum Seminarium et Collegium in pristinam dignitatem vellet revocare, Sartinium e domestica umbra, in qua tutus quietusque delitescebat, excitavit, eique licet reluctanti studiorum praefecturam concreditam voluit. Ac primum ad studia instauranda duas habuit orationes ob auream latinitatem summopere a praestantissimis viris commendatas, quae in lucem prodierunt anno 1815. Hoc vero est admirandum, illum, licet fatiscentibus effoeti corporis viribus, nunquam sibi demandatae defuisse procurationi. Publicis enim praeerat disceptationibus, ad singulas ventitabat scholas, ut adolescentium

progressus videret, ac notaret. Instabat, urgebat cessantes ad studium modo hortationibus, modo spe praemiorum. Totus erat in Seminarii gloria et laude promovenda. Quae ut in dies augeretur ex graeco textu Æsopi fabulas tironum exercitationi accommodatas latine reddidit ea felicitate, ut ad veterum scriptorum laudem pervenisse viri literatissimi existimaverint. Hae fabulae in duos divisae libellos editae sunt typis Seminarii anno 1816. Quae quidem non solum Sartinii ingenium, sed etiam Seminarii et Collegii nostri nomen illustrant.

Ceterum fuit vir religiosissimus et continentissimus ita, ut etiam ob morum suavitatem diligeretur ab omnibus. Fuit etiam vir prudens, propositique tenax quam qui maxime. Patriae summopere studuit, conterraneos amore dilexit singulari.

Ingravescente aetate, usus est valetudine parum firma; lithiasi enim saepissime laborabat. Habebat tamen latera ad laborem firma, nec unquam a lassitudine acquiescebat, quamvis oculorum etiam

acies assiduis defatigata vigiliis non paullum obstupuerat.

Statura erat mediocri, facie candidula, oculis caesiis, fronte exporrecta, capillo raro et cano. Ad extremam vixit senectutem. Annos enim octo et octoginta natus mortem sancte obiit IV Kalendas Augusti anno 1823. Ejus corpus in aedem cathedralem elatum est, ibique honorifice sepultum. A Secundiano Bruschio (*), quem Sartinius, dum vi-

(*) Secundianus Bruschius Corneti natus est patritia nobilitate. Adolescens summo praeditus ingenio hoc in Seminario et Collegio studiorum curriculum confecit. Quinquennium hoc eodem in loco praeceptoris munus cum laude exercuit. Hinc ultro digressus ut Jurisprudentiae operam daret, plures annos Romae commoratus est, ubi literatissimorum hominum non solum, sed etiam virorum principum in se excitavit admirationem. Ex quo factum est, ut Vindobonam juris cognitor missus fuerit apud Pontificis Maximi Legatum Petrum Ostinium hodie amplissimum S. R. E. Cardinalem Sacri Consilii Episcopis et Sodalibus Religiosis tuendis moderandis praefectum. Sex post annos Romam revocatus a Gregorio XVI. P. M. Decurialis a cubiculo factus et adjutor Aloisii Lambruschinii viri Eminentissimi praefecti negotiis publicis.

Hic cum mirifice floreret, et ob suum ingenium, integritatem, et rerum scientiam praeclara omnia de se sponderet, immatura morte praereptus est annos natus XXXVIII. IV. Kalendas Octobres anno MDCCCXXXIX.


Seminarium et Collegium nostrum solemnes persolvit exequias,

veret, carissimum habuit, tunc Seminarii et Collegii professore laudatus est, funusque Gazola Episcopus praesentia sua cohonestavit.

---

quas inter extinctum eo modo, quo potui, laudavi. Illum enim me et praeceptorem et amicissimum habuisse glorior.

Multa tum oratorie tum poetice scripsit stilo elegantissimo, quae haeredum cura quamprimum visura sunt lucem.



INDEX





IMPRIMATUR

HIER. DEC. DE ANGELIS

Pro-Vic. Gen.



